



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 150. Cardinalis Parensis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

super omnes provisiones ac promotiones a Joanne XXIII. usque ad suspensionem ejus concessæ rati haberentur, nisi aliud canonicum obstaret impedimentum. Ast huic dispositioni contradixit Episcopus Aniciensis, suo & Archiepiscopi Spalatenensis nomine, & ejus oppositio ad acta relata est. Quibus peractis Sessio absoluta fuit.

Sæcul. XV.

A. C. 1415.

Die secunda Octobris nuntiatum est Constantiensibus, Benedictum XIII. Perpinianum venisse, & cum Imperatore, atque Arragoniæ Rege conventum egisse. Qua de re tanta erat cunctorum lætitia, ut pulsatis omnibus urbis campanis solemniter Hymnus: *Te Deum &c.* decantaretur.

§. CL.

Cardinalis Barrensis obitus.

Paucis ex post diebus Cardinalis Barrensis, nominatus Landolphus de Maramauris, e vita excessit. Ejus exequiæ ingenti pompa celebratæ sunt, & Episcopus Laudensis funebrem habuit concionem, in qua tamen ne verbo quidem defuncti Cardinalis meminit, sed duntaxat de vitiis Clericorum, & de urgenti Ecclesiam reformandi necessitate disseruit. Proxima die Dominica, vigesima nona Octobris Ottoricus Abindon Doctor,

Vonder
Hardt to. 4.
p. 533. &
tom. 5. p. 115.

Hist. Eccles. Tom. XXVI. M &

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

& Theologiæ Professor Oxoniensis ejusdem funeris occasione verba fecit, & ad finem orationis Patres Concilii adhortatus est, ut Pontificem, doctum, pium, & gravem eligant, qui reformationem Ecclesiæ perficere, & ingentes abusus illo tempore grassantes corrigere valeat.

§. CLI.

Hieronymus Pragensis, etiam post retractationem Synodo suspectus.

Theobald.
hist. de bello
Hussit. c. 23.

Hieronymus Pragensis post errorum suorum abjurationem in pleno confessu factam ad carceres reductus fuit, insuper habitis suorum Commissariorum, seu potius Judicum, nempe Cardinalium, Cameracensis, Ursini, Aquilejensis & Florentini precibus, qui eum liberari impense petierunt, eoquod sese Concilio obedientem præstitisset. Verum hac ipsa sua deprecatione suspectos se reddiderunt, quinimo nonnulli eos Hussitarum ac Regis Bohemiæ auro corruptos, Hieronymo patrocinari criminabantur. Quocirca hi Cardinales alios Commissarios constitui postularunt, & annuente Synodo Patriarcha Constantinopolitanus, alique eis suffecti sunt, Gersonius autem tractatum conscripsit, cui titulus: *De Protestatione seu revocatione circa materiam fidei ab hæreticis facienda pro hæresum ab-*
jura-